



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

65 Missa super altari consecrato celebrari debet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

sunt, cap. nocte. junct. gloss. 2. de consecr. distinct.

64 Et prima, quæ ¶ media nocte celebratur, quo tempore Christus natus est significat tempus ante legem, quando eramus in tenebris: secunda in aurora, tempus in lege, quando nondum plena cognitio habita fuit. Noctē prior, sub luce sequens, in luce suprema, sub Noë, sub David, sub cruce, d. gloss. 2. & communiter loquendo Missa dici debet in die, & non in nocte; quia hoc sacramentum ad tempus gratiæ pertinet, quod per diem significatur, nox præcessit dies autem appropinquavit. Paul. ad Rom. c. 13. cir. fi. Secundò, fallit dicta regula deficiente alio sacerdote, qui Missam possit celebrare in adventu alicujus magni Principis, aut Episcopi, quos decet singulis diebus Missam audire, vel Episcopum dicere, cap. su. de privil. lib. 6. & eadem ratione, supervenientibus peregrinis, etiam quod non essent personæ notabiles, si sub præcepto illo die ad audiendam Missam teneantur. Tertiò, cum statim dicta Missa corpus defuncti occurrit sepeliendum & viget consuetudo, ne sine Missa sepeliatur. Quartò, quando aliquis ita ægrotat, ut necessario sit communicandus & deficiat Eucharistia. Quintò, cum quis præest duabus ecclesiis unitis, duabus Missis indigentibus, & non est, qui alteram dicat. Sextò, ob nuptiarum benedictionem. Septimò, cum occurrit causa, quæ arbitrio boni viri justa judicatur; quia est licitum celebrare bis, urgente necessitate, ex tradit. per Navarr. ubi supra. Sed cautius putarem abstinendum, duobus casibus exceptis, in adventu principis, seu Episcopi, & quando necessario quis esset communicandus, &

utroque casu, si ante purificationem fuisset requisitus, & calicis digitorumque purificationem sumere distulisset, quæ impedit secundæ Missæ celebrationem, cap. ex parte, de celebrat. Miss. & gloss. fin. in cap. sufficit, de consecrat. distinct. 1. In reliquis autem casibus, dictis duobus exceptis, puto à regula non esse recedendum, sed unicam tantum missam in die celebrari licere, per dictum cap. sufficit, cum alijs supra, n. 62. allegatis.

65 Quintò, ¶ missa debet celebrari super altari consecrato, & licet de jure communi non caveatur, qua pœna contrafaciens sit puniendus, cum sit omnibus notorium, Eucharistiæ sacramentum super altari non consecrato, confici non debere, altariaque, ubique lapidibus sacratis munita esse; pœna hujusmodi ¶ pro qualitate personæ, & loci, arbitrio Ordinarij videtur infligenda; quia non poterit contrafaciens evitare, quin deprehensus sit in negligentia crassa, & punibili, ultra quod fere ubique à conciliis provincialibus, & synodalibus, fuit in similibus apposita pœna, & facit tex. in c. nullus presbyter. il. 2. de consecr. distinct. 1. & concil. Tridentin. decret. de obser. & evit. in 6. celebr. Miss. sess. 22. & concurrentibus alijs, quod veraretur in maxima negligentia, ¶ cum alias celebrans, etiam sine aqua, & igne, aut in pane fermentato, & calice indecenti, esset ab officio, & beneficio deponendus, cap. fin. de celebrat. Miss. & ibi Abb. numer. 1. Quia hæc esset supina ignorantia, quæ dolo æquiparatur ad depositionis pœnam ineurendam ut ibi Abb. numer. 2. Et pro dilicto enormi potest fieri depositio, cap. tua, & ibi gloss. & Abb. n. 1. de pœn.

L II

Sextò,